

B. N. II, 106.

(V 1878951)

h. 23, 8^o

2. D. B. V.
De



PROTECTIONE

ab IMPERATORE
ECCLESIIS UTRIUSQUE RELIGIO-
NIS IN GERMANIA

ÆQUALITER DEBITA.

Occasione Art. IV. Instr. Pac. Ryswicensis.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

ELECTORATUS BRANDENB. HEREDE, &c. &c.

In Illustri Academia Fridericiana

CONSENSU ILL. FACULTATIS JURIDICÆ
disputabunt

PRÆSES

JO. CHRISTIANUS Meuldener /
DRESDENSIS-MISN. J. U. L.


&

RESPONDENS

JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI,
Pomeranus.

In Auditorio Majori d. IX. Julii Ao. 1698.

HALÆ MAGDEB. Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.



V. L.







I.



Dvocatia seu Protectio Ecclesiæ est vel Generalis, seu communis, vel Specialis. Illam Imperator Romano-Germanicus, non minus ac quilibet alius ^{a)} Princeps, vi Summæ Potestatis Jure circa Sacra gaudens, Officii ratione omnibus Ecclesiis Christianis in Imperio ^{b)} Romano Germanicò impertiri debet.

a) *Principis enim Officium in eò consistit, ut Salutem, non tantum totius Reipublicæ, sed & singularum partium prudenti directione conservare ac promovere studeat; Unde, cum Ecclesia sit in Republica, neutiquam verò hæc in illâ, naturali ratione fuit, Ecclesiæ non minus ac toti Reipublicæ eandem Protectionem à Principe deberi.*

b) *Ecclesia Christiana Universalis seu Visibilis, à nonnullis vulgò tanquam Respublica aliqua communis, sive Sacrum aliquod Imperium Christianum concipitur; Et tunc Imperator Caput temporale mundi, populi Christiani, omniumque fidelium,*

uti in *A. B. c. 2. §. 3. 4. 5. Advocatus Universalis* sive der Oberst/
Haupt und Vogt der Christenheit; in *R. I. 1529. §.* Und anfäng-
lich. 1. Der oberste Vogt der Christenheit / welchen aus aufer-
legten Kayserslichen Ambt gebühret ꝛ. den heiligen Christli-
chen Glauben / wie derselbige durch die heilige Gemeine
Christliche Kirch bis anher löblich und ehrlich gehalten und
vollzogen / zuhandhaben / zuschützen / und zubeschirmen ꝛ.
in *R. 7. 1530. §.* Nachdem aber uns ꝛ. *Advocat der Christenheit /*
in *Capitul. Caroli. V. & omnium sequentium Imperatorum art. 1. Papa*
vero caput *Spirituale*; reliqui autem Reges ac Principes *membra*
facri illius corporis dici solent: Quæ quidem locutio hæctenus
tolerari potest, si per eam *prærogativa* saltem *dignitatis* & locus
honoratior præ reliquis Regibus Imperatori assignatur; neuti-
quam verò, si *prærogativam potestatis*, & imperium in reliquos
Reges involvere debet, vid. Schilter. *de Lib. Eccl. Germ. L. 3. c.*
12. §. 9. Fürstener. de Suprem. c. 32. pr. Boecler. Not. Imp. l. 4. c. 1. §.
de Capite Christianitatis & c. Familia verò Christiana Universalis, in
quâ *Pontifex Romanus Pater, Ecclesia Mater*, omnes autem *Prin-*
cipes filii, & inter illos unus *primogenitus*, sc. Rex Galliaë,
Respublica verò *filia* dicuntur, tanquam putidum & ambitiosum
papicolarum figmentum nullò sanò fundamentò nititur, imò
Scripturæ Sacræ potius *contrariatur*, vid. *Matth. 23. 9.* Accurate
tamen loquendo, *Proteçtio* hæc generalis *Imperatoris*, non nisi
Ecclesiam, in Orbe, seu Imperiò *Romanò* existentem, unicè respi-
cit.

II.

Tribuit autem Generalis hæc Ad-
vocatia Imperatori Jus tuendi & ^{a)} re-
gendi Ecclesiam; ne scilicet occasio-
ne Cultûs ^{b)} Divini à vi ^{c)} externâ, vel
tur-

turbis d) internis salutis publicæ in Imperio periculum nascatur.

a) ad *Regimen Ecclesie* quoque pertinet *Constitutio Episcoporum & Clericorum*, tanquam *Magistratum Ecclesiasticorum*. *Princeps* enim actiones sive *Officia subditorum* vel *ipse*, vel *per alios*, qui *Voluntatem & Capacitatem* habent ritè operandi & *Salutem publicam promovendi*, dirigere debet. Respiciunt autem *Civium officia* vel *Deum* vel *Cives ipsos*, vel demum *Proximum*. Magistratus qui illis dirigendis præficiuntur, *Ecclesiastici* qui verò istis & hisce, *Civiles* dici solent. Constituit eos summus princeps vel *immediatè*, vel *mediatè*; Cui enim meliori Jure facultas constituendi ejusmodi Magistratus competere posset, quam illi, cujus & isti vicem gerunt, & de quorum administratione ille ipse Deo rationem reddere tenetur, unde & meritò uti ab omnibus, ita etiam ab Ecclesiasticis *fidelitatis* & obsequii promissionem exigere valet, quam etiam illi, nisi pro hostibus Reipublicæ haberi velint, necessariò præstare tenentur. Neque *Clerum Christianum* excusare potest, quod *Voluntatem Summi Numinis in Verbò suò* revelatam annunciantes, homines respicere prohibeantur: Nemo enim rectè sanus ab illis desiderabit, ut *Voluntati principis Veritatem divinam* posthabere debeant, sed saltem, *ne doctrinà suà turbas ac seditiones excitare*, vel aliud *periculum Reipublicæ creare*, aut etiam *propria glossemata tanquã divina oracula* hominibus obtrudere præsumant. Manent certè, etiam quoad sacerdotium & Magistratū sacrum membra & Cives Reipublicæ, quapropter etiam illius Caput, Summam sc. potestatem, unde omnia in Republicâ dependent, agnoscere ac *Subjectionem & dependentiam suam publice quoque profiteri* tenentur. *Dn. Schilter. de Libert. Eccles. Germ. L. IV. c. 5. §. 26. & 27.* ubi insimul prudenter monet, *Constitutionem & Confirmationem Clericorum, cum Consecratione, quæ more apostolico per impositionem manuum fieri solet, neutiquam confundendam esse.* Cum itaque ipsa Reipublicæ

cujusvis indoles Jus hocce summis Imperantibus tribuat, hinc & illud rectissimè olim *exercuerunt Reges* quoque Germanarum Gentium, imprimis verò *Francorum*, vid. *Conr. de Constit. Episcop. German. tb. 21. 22.* imò *Carolus M. & Otto M.* gloriosissimi Germanorum Imperatores occupato Regnò Longobardicò & Imperiò Romanò, Jus quoque constituendi Episcopos, quale per omnem *Germaniam* iis antea competebat, *per Italiam* quoque imò in ipsam sedem & *Pontificem Romanum*, uti expressis verbis fatentur ipsi Pontifices in *C. 22. & 23. dist. 63. sibi acquisiverunt*, & ad Successores suos *transmiserunt*; qui etiam annotante *Conringio d. l. tb. 36-45.* magnà cum Libertate eò usi fuere, donec *Hildebrandi* sive *Gregorii. VII.* nec parem nec Superiorem ferre patientis, immoderata *ambitio & impietas* in Henricum IV. Successoribus viam panderet, quâ excussa Imperatorum Legitimâ autoritate, ad *Superioritatem & Independentiam* à Summa Reipubl. potestate, grassari, ac insimul Jus *Constituendi Episcopos & Prælatos* Imperatori extorquere valerent. Factum hoc tandem fuit à *Callixtò II.* cui infelicis memoriæ Imperator *Henricus. V.* & in patrem & in patriam impius, *Jus investiendi Episcopos per Baculum & annulum, Ecclesiis vero Liberam Electionem* in Comitibus Wormatiensibus ad. 1122. plenè *concessit*; reservatò sibi solummodò *Jure investiendi Electos de Regalibus per sceptrum*, & quod in *Regnò Teutonicò*, non vero in Imperio Romanò stricte dictò, *disfidentibus Eligentibus, saniori parti assensum & auxilium suum præbere* liceret Imperatori, vid. *Schilter. d. L. IV. c. 5. §. 6. 7. 8.* qui etiam §. 29. *Transactionem & Cessionem* illam, ob deficientem *in cedentibus* facultatem ejusmodi Jus, Majestati inseparabiliter annexum, extrâ Rempublicam alienandi, nec non ob aptitudinem & capacitatem illud legitimè possidendi, *in Acquirente*, Pontifice scilicet, cui non minus ac universo Clericorum cœtui usurpatio Potestatis Summæ, Ecclesiasticæ & Civilis in Sacris Literis interdicta est, itidem deficientem, nullò jure factam, adeò per se *invalidam & ipso jure nullam*, Germaniæ autem *perniciosissimam*, (transiit enim hoc modò τὸ κρείον circa sacra extra Germaniam ad Pontificem) fuisse, multis ac solidis rationibus evincit. add. *Conr. d. L. tb. 57.*

b) Di-

b) Dictum jam fuit, Principem quoq; Civium *Officia erga Deum* dirigere debere; Consistunt autem illa in *Cultu Divinô*, qui complexum actionum Amorem Honorem & Timorem Dei involventium denotat, & *notitiam de Deo*, Naturalem ad minimum *presupponit*. Nemo enim Deum colit, nisi qui illum, tanquam Ens, planè diversum ab iis, quæ in Sensus nostros incurrunt, reverà existens, concipit, eundemq; Universum hoc condidisse, & in illud adhuc actuale Regimen exercere, firmiter persuasus est. *Grot. de J. B. & P. L. II. c. 20. §. 45. n. 1. Pufend. de O. H. & C. L. 1. c. 4. §. 2. 3. 4. & 5.* Sequuntur autem ex notionibus hisce *contemplativis*, uti *Grot. dl. n. 3.* loqui amat, vel propositionib9 *theoreticis* uti *Pufend. d. c. 4. §. 1.* dicuntur, *Notiones Active*, sive Propositiones *Practica*, quæ ab aliis *actus Voluntatis*, sicuti priores *actus Intellectûs* appellantur. Actus autem *Voluntatis* vel ad *internum Dei cultum* referuntur, scilicet, Honor, Amor, Spes, Fiducia, Timor, Obsequium; vid. *Puf. dl. §. 6.* vel ad *Externum*, eumque aut *Generalem*, tria potissimum momenta, invocationem Dei, Laudationem ejus, & gratiarum actionem, desiderantem; *Dn. Thomas. Jprud. Div. L. II. c. 1. §. 5. & 6.* & *hucusque Ratio nostra*, prælucente Lumine naturæ *penetrare* potest; aut *Specialem*, seu Verum modum, quò Deus coli ab hominibus debet; quem *Ratio* sibi soli relicta *investigare nequit*, sed ex solâ revelatione illius notitiam haurire tenetur; Unde maximi momenti Conclusio è Generali præceptô de Cultu divinô fuit: CULTUM scilicet REVELATUM TANQUAM SALUTARFM DILIGENTER INVESTIGA; hóc autem sufficienter cognitô, sequitur tandem unicum & ultimum Juris Naturæ præceptum: COLE DEUM SECUNDUM MODUM IN VERBO DIVINO REVELATUM, *Dn. Thomas. dl. §. 2.* Ex hætenus dictis facili negotiô patet, quænam Obligatio *Principi* quâ tali circâ dirigenda Civium officia erga Deum incumbat, & quidnam potissimûm *Magistratibus* illis *Ecclesiasticis*, tanquam Vicariis suis injungere debeat, nempe: : Ut *Specialem Dei Cultum diligenter investigent*, cognitum verò *Civibus luculenter exponant*. Circâ indagandum autem cultum huncce, maxima

di-

diversitas oriri solet. Ut enim illos taceam, qui pessimi omnium, ipsam *Dei Existentiam & providentiam*, consequenter omnem ejus *cultum negant*, optimò jure in benè constitutis Rebus publicis, judice *Grotio. d. c. 20. §. 46. n. 4.* coërcendi; *Alii* certè planè à verâ viâ aberrant, vel sibi ipsis *Cultum* aliquem *fingentes*, quod Gentilibus solenne fuit; vel *Cultum revelatum* sibi ab aliis annunciatum, *pro verè tali habere abnuentes*, quod non solum Ethnicorum, quibus Notitiam Voluntatis à Deo revelatæ, commercium cum Christianis peperit, sed & Judæorum hodie peccatum esse solet. *Alii* econtrà veram ac *salutarem viam* ingrediuntur quidem, mox tamen simplicitatem S. Scripturæ fastidientes, varias, ac speciosas interdum *interpretationes* sibi effingunt, & hòc ipsò ad devia quæque delabuntur; Nascitur inde *Opinionum Sylva*, quarum quamlibet cum sui Autores tanquam genuinam ac Sensui divini Verbi unicè convenientem mordicitùs defendunt reliquas vero omnes damnant, tot ferè *Seçta*, seu, ut vulgò dicuntur, *Religiones*, quot *Sententiæ* exinde propullulare, populusve Christianus magnò cum Reipubl. periculò, in partes scindi solet. Prudentiâ tali casu opus habet *Princeps* minimè vulgari, quò motus occasione Cultus divini concitatos sedare, futuros occupare, & non obstante Sententiarum diversitate, Pacem & tranquillitatem publicam conservare valeat. Quemadmodum autem *ad Essentiam* Reipublicæ minimè *requiritur*, ut omnes in illà viventes unam *eandemque persuasionem* de rebus divinis *habeant*, vel *eandem interpretationem* Loci alicujus controversi sequantur; ita quoque *Princeps*, si à parte Subditorum aliquà dissentiat, *neniquàm* adhibitâ *vi* illam in Sententiam suam rapere, vel *decisionem finalem* ejusmodi Controversiarum merè Theologicarum, applaudente suæ factionis Clerò, sibi sumere, & hòc modò *Officium Spiritûs Sancti*, cui unicè *interpretatio authentica* Scripturæ Sacræ, competit, involare præsumat; Verùm *pacificè viventes*, quietè vivere *sinat*, & ne *Seçta* *Seçtam* contumeliosis nominibus proscindat & calumniis effectis oneret, vel una pars declamationibus male feriatis concitata alteri turbulentam vim inferre conetur, seriò *interdicat & prohibeat*;

beat; illis autem quorum *Doctrina Politiam ferre nescit*, necessariam *Emigrationem* imponat uti hæc omnia erudite ac solide evincit *Dn. Thomafius*, in eleganti *Tractatu, de Jure Principis Evangelici circa Controversias Theologicas, &c.* ann. 1696. edito. Regula itaque est: *Salus Reipublicæ Civilis Principi ultima Lex* esto. Unde sequitur, quod & omnia *legitima media*, ad finem illum obtinendum facientia, *adhibere*, contraria vero & *perniciosa* cautè *amoliri* debeat; quamvis negari nequeat, quod *Principi Christiano* qua tali insuper necessitas incumbat, *media* illa, *an cum Voluntate divina conveniant vel non*, probè examinandi.

c) *Vis externa* Reipublicæ Occasione Cultus divini maxime ingruere potest, quando *Princeps* aliquis *exterus*, vel *bona fide errans*, à Clero suo seductus; vel potius, uti communiter fieri solet, sub *Religionis Larva* Cupiditatem imperandi occultans, illi, quam Ecclesiæ suæ unire vel subjicere intendit, arma infert. Uti autem omne *Bellum*, Populo alicui eam *ob* causam, quod *Religionem* Christianam, quæ sane omnem vim armatam respuit, amplecti recusat, illatum, perpetuo *injustum est*, vid: *Grotius. de J. B. & P. L. II. c. 20. §. 48. Ill. Dn. de Kulpis. in Colleg. Grot. ad b. l. th. 10.* ita *majori* adhuc *iniquitate* laborant illi, qui Christianum quidem nomen sibi tribuentes, in alias tamen *Religionis Christianæ Sectas*, quarum asseclæ Christi doctrinam, Sacris literis comprehensam, pro vera habent, sed de quibusdam, quæ aut extrâ Scripturam sunt, aut in Scriptura ambiguum Sensum habere videntur, dubitant aut errant, *suppliciis aut bellô* grassantur. vid: *Grot. d. c. 20. §. 50. Dn. de Kulpis. d. th. 10. lit. d.* Facile exinde judicium ferri potest de justitia illius belli, quò *Carolus M. Saxones* eam ob causam, quod Religioni Christianæ contrarii, Cultui Dæmonum dediti essent, uti *Eginardus in Vita Caroli M.* rem exprimere amat, tamdiu affixit, donec victi Christianæ Religionis sacra fusciperent. Eundem calculum merentur *Expeditiones* illæ Sacræ seu *Cruciatae*, ad Liberandam Terram Sanctam à Jugo Saracenorum, væsanô certe conatu, olim à populis Christianis, Papa, callido consilio, quo scilicet fra-

B

Etis

Etis Europæ viribus Occidenti majori facilitate jugum imponere valeret, classicū canente, infelici plane successu susceptæ. Neque melioris notæ esse potest *Sacrum* aliquod *bellum*, contra *infideles*, *Turcas* imprimis, autore Pontifice, instituendum; nititur enim absurdō illō præsuppositō: Bellum scilicet contra *Turcas* etiam absque ulla causâ, semper justum esse. Acerbiori verò censura adhuc notandæ veniunt *Expeditiones* illæ, itidem *Cruciata*, contra *Christianos*, quos Curia Romana, quia ejus scita cœca obedientia amplecti recusabant *Hæreticos*, abusive ut plurimum, appellabat, quondam, uti *Albigensium*, & *Hussitarum* aliorumque exempla docent, publicatæ, &, si tempus ferret, forsân denuo contra Omnes, qui Romani Præfulis potestatem non agnoscunt, publicandæ. Ridiculum porro est, quod Alexander VI. Americanas provincias Hispanis donare, & Jus infimul debellandi illarum incolas, utpote infideles, conferre præsumserit, vid. *Grot. Mar. lib. c. 3. sqq.* Pessimiverò exempli res erat, quod superiori Seculo Pius V. & Sixtus V. Elisabetham Angliæ Reginam Excommunicationis fulmine perstrictam, Regno privare, illudque Philippo II. Hispaniarum Regi addicere nefandō ausu conarentur, vid. Bullam Pii V. ap. *Cambden. Histor. Elisab. p. II. p. m. 193. sqq.* Sixti V. ep. *Meteoran. Hist. Belg. l. 15. p. m. 777. sqq.* Regula enim perpetua manet: „Quod omne bellum, contra populum, qui suis Legibus vivit, neque Societatem naturalem injuria nobis illata, violavit, pacemque abruptit, susceptum, Iure naturæ injustum ac nefarium fit. Unde si Respublica, ab alio Religionis causa armis invasa, vim quoque armatam opponat; hæc iane e genere licitorum, & *bellum* hoc modo *ad defendendum Cultum*, etiam *profanum*, susceptum, *justum* erit. *Aggressor* enim, dum sibi Imperium in Conscientiam Liberæ Gentis arrogat, ipsum Jus circa sacra, consequenter *Majestatem* ac *Libertatem Reipublicæ* petit, eo ipso autem justæ defensionis locum facit. *Imperatoris* itaque Romano-Germanici, uti cujuslibet boni Principis officium hoc intuitu in eo consistit, ne sc: *Vicinas Gentes*, fideles illæ sint an infideles, nihil interest, *bello* adoriatur; *Imperium* verò

rò

ro ab alio, quocunque sub prætextu, consequenter etiam sub specie Religionis, *invasum*, omni adhibita vi defendat. Prudenti autem consilio, naturalem hanc obligationem Electores in Capitulationibus Cæsareis expresse repetere, & Imperatores sub juramenti fide astringere siveverunt: Daß sie Zeit ihrer Regierung sich gegen den benachbarten / und anstossenden Christlichen Gewälten / friedlich halten / kein Gezänd / Fehde noch Krieg / in und ausserhalb des Reichs / von desselben wegen / unter keinerley Vorwand / wie der auch seye ꝛc. anfangen sollen. vid. *Capitul. Car. V. art. 11. pr. Leopoldi & Josephi art. 13. pr. de Defensione* autem in sequentibus disponitur: Wo wir aber von des Reichs wegen / oder das Heil. Reich angegriffen und bekrieget würden / alsdann mögen wir uns aller Hülffe gebrauchen.

d) Occasione Cultus divini in Republica *turba interna* exoriri possunt, Si *Princeps*, à toto populo, vel illius parte circa Religionem dissentiens, vel *receptam* hætenus religionem penitus *ejicere*, vel *partem* illam *dissentientem* ad sua sacra violento modo *adigere* intendit. *Injustum* ejusmodi conatum esse, paulo superius jam ostensum fuit. *Principi* enim non Imperium in Conscientias Civium, sed *Cura* tantum *salutis* Civilis & tranquillitatis *publicæ* commissa fuit. Ambitionis vero Clericalis extremus gradus est, non solum dissentientes tolerare nolle sed & illos ad mutanda animi Sensa violentis mediis adigere, imo Confessionem, Conscientiæ & Conceptibus illis, quas sibi de rebus divinis formant, planè contrariam, vi adhibita extorquere velle. Laborant autem illa omnes, qui Inquisitiones & Violentam dissentientium, quos promiscue hæreticos vocare solent, Extirpationem probare haut verentur, quod hætenus illis qui Papismum non solum crassum, sed etiam subtilem amant, solenne esse sivevit. Prudentiores hac in parte *Poloni*, qui, ne in posterum seditio aliqua, Tumultus & Guerra, uti, loquuntur, ex Occasione scissionis aut discordiæ in Religione, fiat, etiam nuperrime cum Serenissimo Rege suo, AUGUSTO, II. in Pactis illis Regiis convenerunt: ut *pacem inter disidentes,*

„in Religione Christiana, tot Confœderationibus Regni Warſa-
 „vieniſibus ſtabilitam, non obſtantibus quibuſcunque Prote-
 „ſtationibus, integraliter perpetuis temporibus ſervare, illis-
 „que plenam ſecuritatem, antiquis Legibus cautam, (exce-
 „ptis tamen Mennoniſtis, Anabaptiſtis, Quakerorum, & So-
 „cinianorum, Claristarum & Contribulorum Sectis)
 præſtare velit: vid. *Pacta Conventa Sereniſſ. Regis Auguſti.*
II. de anno 1697. §. Et quoniam in hoc & §. In diſtributivâ &c.
 In Imperio noſtro Germanico ſaluberrimè quoque Potestas
 Imperatoris per Conventiones publicas eatenus reſtricta eſt,
 ita ut Auguſtanæ Confeſſionis Socii, modo promiſſa ſerven-
 tur, nullam metuendi ſibi cauſam habeant. Non enim ſolum
 in genere Imperatores jam à temporibus Caroli V. promittere
 tenentur: Daß Sie die Chur-Fürſten/ Fürſten und Prælaten,
 Grafen/ Herren / und andere Stände des Reichs / in gleichen
 die ohnmittelbare Reichs Ritterschafft nicht ſelbſt verge-
 waltigen/ ſolches auch nicht ſchaffen / noch ändern zuthun ver-
 hängen wollen ꝛ. v. *Capitulat. Caroli V. art. 21. Leopoldi art. 15.*
Joſephi. art. 14. pr. ſed & in Specie in Transactione Paſſavienſi de
Ao. 1552. cautum fuit: Daß weder die Käyſerliche Maj. noch
der Römische König / noch Chur-Fürſten/ Fürſten und Stän-
de des Heil. Reichs/ keinen Stand der Augſpurgischen Con-
feſſion verwand / der Religion halben / mit der That gewalts-
tiger weiß / oder in andere Wege / wider ſeine Conſcienz und
Willen dringen oder derhalben überziehen/ beſchädigen/ durch
Mandat oder einiger anderer geſtalt beſchweren oder verach-
ten/ ſondern bey ſolcher ſeiner Religion und Glauben / ruhi-
gich und friedlich/ bleiben laſſen ſolle ꝛ. quæ diſpoſitio dein-
de in Pacificatione Religioſâ de Ao. 1555. §. Und damit ſolcher
Fried ꝛ. ſolenniter repetita, ac inſimul ſancitum fuit: daß
di ſtreitige Religion nicht anderſt / dann durch Chriſtliche
freundliche/ friedliche Mittel und Wege/ zu einhelligem Chriſt-
lichen Verſtand / und Vergleich gebracht werden ſolle ꝛ.
quæ omnia rata & firma, ſanctæque ac inviolabiliter cuſtodi-
 en-

enda esse, jubet *Instr. P. Osnabr. art. V. §. Transactio &c. add. Conring. de Pace Civili inter Imperii Ordines Religione dissidentes perpetuo conservanda &c. & Iob. Dekherri Consultatio de Pace Civili Religioni in Art. V. Instr. Pac. &c. datâ &c.* qui solidis rationibus justitiam harum transactionum, contra Pontificiorum Machinationes, propugnant. Illud adhuc merito notandum, quamvis alias *Subditis arma contra Principem arripere non liceat*, etiam si Religionis causa male habeantur; Attamen hoc saltem regulariter de *Subditis merè talibus* intelligendum esse, ipsa sana ratio dicitur. Nam in *Regno mixto*, vel *irregulari*, ubi Status quoque de Summa Potestate participant, vel, ubi Regnum *sub Conditione expressa, ne Princeps dissentientibus in Religione ullo modo vim faciat*, delatum fuit, omnes *Actus* ejusmodi *Pactis contrarii*, ob deficientem in agente facultatem agendi, *ipso jure nulli*, & irriti, consequenter quoque Status Regni & Subditi nulla obligatione ad Obsequium præstandum, adstricti sunt. *Ubi enim facultas imperandi deficit, ibi cessat quoque Obligatio parendi.* Imò, si *Imperans* destinata sua vi pervincere molitur, injustis armis *justam defensionem Civibus* opponere licebit, quia eatenus pro legitimo Imperante haberi non debet. vid. *Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. §. 16. Pufend. de J. N. & G. l. VII. c. 6. §. 10.* Facilis exinde *applicatio ad Germaniam* fieri potest, imprimis cum in *Capitul. Car. V. art. 33. Leop. art. 38. & Josephi. art. 37. §.* Ob aber diesen und andern ic. omnes actus Capitulationi contrarii ipso jure irriti ac nulli esse jubeantur. Unde nullo negotio de *justitia armorum*, quæ *fæderis Smalcaldici Socii Carolo V. Seculo Superiori*; hoc vero *Socii Fæderis Lipsiensis Ferdinando II. opposuere*, Sententia ferri potest. Porro *Turbæ* in Republica *interna* exoriri possunt, si *Cives* circa Religionem dissidentes *sibi* invicem *violentas manus* inferant; Et tunc *Princeps* ante omnia *tumultuantibus*, ut arma ponant & *pacem* fervent, *injungere*, causam sufficienter cognoscere, *inobedientes* verò, tanquam publicæ tranquillitatis & communis Salutis hostes vi quoque adhibitâ, *ad officium*

faciendum *adigere*, vel penitus è Republica *ejicere* debet. In Imperio nostro Germanico utriusq; Religionis, Catholicæ scilicet & Evangelicæ, Confortibus sub *pæna fractæ Pacis* severissime interdicitur: Ne quis alterum Occasione cultus divini seu Religionis causa vi adoriatur, & turbas moveat; secus faciens, ni admonitus absque mora arma ponat, conjunctis Imperatoris & Statuum Imperii viribus coerceatur, ac puniatur. v.R. J. 1541. §. Und damit im Heil. Reich 2c. R. J. 1544. §. Als wir aber in der Handlung 2c. *Transact. Passav.* §. Und ob einer oder mehr Stände 2c. & §. Damit auch hierinn 2c. *Pacificatio Relig.* §. Und damit solcher Fried 2c. §. Dargegen sollen die Stände 2c. inprimis vero in §. ferner verpflichten 2c. finali communi consensu sancitur: Daß die Käyserl. Maj. / Wir (sc. Ferdinandus I. Rex Rom.) und kein Stand den andern / mit was gesuchtem Schein das geschehen möcht / mit der That / oder sonst einiger Gestalt heimlich oder öffentlich / durch uns selbst / oder andere von Unsertwegen / beschweren / überziehen / vergewältigen / bekriegen / tringen / beleidigen / oder betrüben sollen und wollen. Und so auch einig Theil / oder Stand / wieder solchen aufgerichteten Frieden den andern (als doch nicht seyn soll) jetzt oder künfftiglich mit thätlicher Handlung / die geschehe heimlich oder öffentlich vergwältigen oder beträngen würde / daß die Käyserl. Maj. Wir und Sie / auch Unser und ihre Nachkommen und Erben / alsdann nicht allein den Vergwältigern oder so thätliche Handlung vorgenommen / oder vornehmen / keinen Rath / Hülff oder Beystand leisten / sondern auch dem andern Theil oder Stand / so wider diesen Frieden vergwältigt / überzogen oder bekriegt würde / wider den Vergwältiger / oder der sich thätlicher Handlung unternimbt / Hülff und Beystand leisten wollen und sollen 2c. Omnis quoque *Violentia & via facti* inter utramque partem perpetuo prohibetur in *Instr. Pac. Osnabr. Art. V. §. 1. in fin. add. Ill. Dn. Strykius, de Via Facti Principibus Imperii permissa, c. 3. §. 4. Quemadmodum autem Subditis regulariter non licet, publicum*

Rs-

Religionis alicujus in Republica haectenus non receptæ *Exercitium invito Domino suo instituere* ; ita in Imperio quoque immediatis Statuum subditis, Libertas quidem Conscientiæ, & ut diversæ Religioni nomen dare possint, integra relicta, attamen non nisi *privatum novæ Religionis suæ Exercitium* concessum fuit in *Instr. Pac. Osn. art. V. §. placuit. 34. Ill. Dn. Strykius. d. c. 3. §. 16.* Quod si tamen ejusmodi *Subditi*, non obstante prohibitione hac Legali, *contradicente etiam Principe suo*, publicum tamen Cultum nihilominus *introducere*, & hoc modo Juris circa Sacra se participes reddere conarentur? Certe, Principi eo in casu integrum fore, *Jura sua Via facti defendere*, illorumque Insolentiam, adhibita etiam vi compescere, dubio caret; expresse enim in *Capitul. Leop. & Josephi art. 7.* dispositum est, daß denen Churfürsten / Fürsten und Ständen zugelassen und erlaubet seyn solle / sich nach Verordnung der Reichs Constitutionen, bey ihren hergebrachten und habenden Fürstl. Juribus, selbst / und mit assistenz der benachbarten Stände / wider ihre Unterthanen zu manuteneiren / und sie zum Gehorsam zubringen ꝛ. vid: *Ill. Dn. Stryk. d. l. c. 2. §. 8.* Quo autem Subditis omnis auxiliorum exterorum spes, qua subnixi alias frænum pervicacius mordere auderent, præscindatur, Leges quoque publicæ prudentissime cavent: Ne quis Statuum, sub prætextu Religionis, alterius Status Subditos contra Dominum illorum legitimum, protegere conetur. v. R. J. 1529 §. Wir auch Churfürsten ꝛ. R. J. 1541. §. Und damit im Heil. Reich ꝛ. R. 1544. §. 83. *Pax Relig.* in R. J. 1555. §. 23. Es soll auch kein Stand den andern noch desselben Unterthanen / zu seiner Religion tringen / abpracticiren / oder wider ihre Obrigkeit in Schutz und Schirm nehmen / noch verthätigen / in keine Weg ꝛ. add. Kaiserl. Land: Fried. de Ao. 1548. §. Als weyland ꝛ. 1. vers. daß auch keiner den andern ꝛ. Exterorum autem Protectionem quærere, immediatis Statuum Subditis penitus interdictum in *Capitul. Ferd. IV. art. 6. Leopold.*

pold. & Jos. art. 8. ubi Imperator promittit : Daß er dergleichen Protection und Schirm-Brieff über mittelbahre Städte und Landschafften/ denen Gewälten und Potentaten/ so Seinem und des Heil. Reichs Zwang und Jurisdiction nicht unterworffen/ nicht ertheilen/ noch solche zusuchen und anzunehmen gestatten wolle. *Exceptionem* tamen Regula quoque hæc admittit, scilicet: *Si subditi Jus Protectorem extra Imperium vel in illo, habendi, longa observantia acquisiverint, per d. R. J. 1544. & 1555. ubi dicitur : Und soll hiermit denjenigen so hiebevorn von Alters Schutz und Schirm-Herren anzunehmen gehabt / hierdurch nichts benommen seyn* *rc. v. Mager. de Advoc. Arm. c. 6. n. 364. sqq.* Subditos quoq; *Privilegiatos* ad Conservationem Privilegiorum suorum sibi ex aliis Statibus Patronos & Protectores assumere posse, statuit *Er. Mauritius ad Capitul. Leop. §. 8. p. m. 809.* illisque *idemlicere*, in casu ubi inter *Dominum & subditos controversia* est, ac hi sibi de vi metuunt, prolixè defendit *Mager. d. c. 6. n. 349. sqq.* Quod eatenus concedi potest, si scilicet *Imperator*, penes quem Summum Jus protegendi, aut specialem Protectorem dandi, residet, illorum *securitati prospicere* aut nolit, aut *nequeat*. Cum effectu enim *verba Capitulationum in d. §. 8.* Also Männiglich forthin in Unsern und des Heil. Reichs alleinigen Schutz und Berthädigung *rc.* ohne imploration in- und auswärtigen Anhangs und Assistentz gelassen werde *rc.* accipienda esse, naturalis rerum connexio docet. Nam si Imperator officium facere impediatur aut illud negligat, culicet sane salutis ac integritatis suæ prohibitu prospicere integrum esse debet. Ex hætenus allatis quoque facili negotio patescit, Subditis, si *Princeps* illorum ad *diversa sacra transeat*, quod omnibus quidem, *non obstantibus* quibuscunque *Reversalibus* licitum, iudice *Becmanno, de J. Subdit. circa sacra. c. 3. §. 20.* nullam, obsequium debitum dene-gandi, causam inde nasci: Quod si tamen talis Princeps *contra expressa pacta novæ Religionis suæ publicum Exercitium* introducere, vel Subditorum *Conscientiis gravis* esse incipiat, Imperator sane illos, contra ejusmodi attentata, protegere, & ne

Re-

Religioni haectenus ibi receptæ, etiamsi ipse Imperator illi non addictus sit, vis fiat, valida remedia adhibere, obligatus est.

III.

Specialis Protectio est, quam olim
 a) Pipinus, & Carolus b) M. assumpto
 Patritii c) & Advocati d) titulo, Sedi
 Romanæ, Pontifici & Ecclesiæ Ca-
 tholicæ, juramento e) quoque desu-
 per præstito, specialiter promise-
 runt. Et hanc quoque Imperatores
 Romano-Germanici, tam in Coro-
 nationis f) suæ solennibus, quam in
 Capitulationibus g), ab Electorali Col-
 legio Imperii nomine semper con-
 cinnatis, potissimum repetierunt.

a) Crescente indies *Longobardorum in Italia potentia*, & illo-
 rum Rege Luitprando ipsam Urbem Romam obsidione cin-
 gente, *Gregorius Pontifex*, ab Imperatore Constantinopolitano
 destitutus, ad *Carolus Martellum*, Pipini patrem, qui Major
 Domus Regnum Francorum pro Rege administrabat, anno
 739. Legatos miserat, obtestans, *ut sibi atque affectis Ecclesiæ rebus*
succurreret, & urbem obsidione Longobardorum eximeret.
Carolus, eam rem honori sibi esse ratus, *fœdere cum Ecclesiâ jun-*
cto, Luitprandum, ut Romana ditione sine maleficio cederet,
 Legatione missa, permovit. v. *Car. Sigon. de Regno Ital. L. 3. p.*

C

en. 682

m. 68. in fœdere autem illo, *Romanum Consulatam* Carolo a Papa fuisse sancitum, refert *Gregor. Turon. c. ult.* hoc est: Carolum a Papa *Principem Senatus Romani* fuisse declaratum, dignitate ac potestate summa in Urbem & partem Italiae per S. P. Q. R. collata, proxima tamen ab Imperatoria, utpote quam vel sibi Pontifex reservare cupiebat, vel Imperatori Constantinopolitano, saltem titulotenus, judice *Dn. Schiltero, de Lib. Eccles. Germ. L. II. c. 7. §. ult.* Unde patet, Carolum Martellum primum e Principibus Francorum *Defensionem specialem* sedis Romanae, & quidem sub titulo *Consulis Romani* suscepisse, add. *Mager. de Adv. arm. c. 5. n. 319.* Mortuo Martello, Pipini filii junioris fervidius ingenium ministri ac Majoris Domus nomen, cum Regio commutare appetebat. Carolomanno itaque, fratre primogenito, persuasione Cleri Monasticam vitam amplexo, anno. 746. *Pipinus*, solus jam vim ipsam Imperii tenens, Chilperico. III. legitimo Rege non nisi titulum habente, *Legatos Romam misit* anno 749. & ut sanctior omnibus novi Regis Majestas haberetur, velamento ambitioni a Religione quaesito, *Zachariam* Pontificem Romanum *consuluit*: Uter ei regio fastigio dignior videretur, is ne, qui otio languens nihil ad communem utilitatem afferret, an qui dies noctesque de regni Salute atque custodia cogitaret. *Papa*, occasionem hanc, potentissimum juxta & fortissimum Principem sibi & Romanae Ecclesiae obstringendi, avide arripiens, Omnino se Regem illum judicare, qui Regni commodis & incolumitati serviret: respondit; imo, quasi non *per modum Consilii*, sed *Sententiae pronunciare* rogatus fuisset, *interposito decreto*, quod *iniquitatis* convincit *Dn. Schilter, d. L. II. c. 9. §. 6. sqq.* Regnum Chilperico, ut parum idoneo, abrogavit, & Francis, Sacramenti religione solutis, ut Pipinum Regem substituerent auctor fuit. Eo ipso autem *Jus deponendi Reges* & absolvendi subditos alienos a Juramento fidelitatis inaudito antea exemplo, nullo jure exercuit, vid. *Gratianus in cau. XV. qu. 6. c. alius. 3. Dn. Schilter, d. c. 9. §. 5. sq.* Chilperico itaque abdicato & in Monasterium detruso, Pipinus consentientibus
 Fran-

Francis, a Bonifacio Archiepiscopo Moguntino in Sueffionum civitate Rex Francorum consecratus fuit. vid. *Annal. Pipini ad Ann. 749. & 750. Sigon. d. l. 3. p. m. 74.* Erat sane *Pipinus* magno illo beneficio *sedi Romanae obstrictus*; id enim, quod fieri vix posse videbatur sacrosancta autoritate sua Papa justum effecerat, ut verbis *Sigonii d. 7. p. m. 26.* utar; hinc cupiebat, ab eadem potestate *idem Jus ad Carolum & Carolomannum filios transferri.* Ad erat mox exoptata implendo desiderio suo occasio. *Aistulfus* Longobardorum Rex, exercitu urbi Romæ admoto ultimum Pontifici ac Romanis excidium, & servitutem, ni suæ se potestati permitterent, intentabat. *Stephanus II.* qui eo tempore pontificatum tenebat, prope divinitus admonitus, liceat iterum *Sigonii* verbis rem exprimere, Gregorii exemplo *auxilium e Francia* missis primo Legatis, *postulat*; mox tamen, cum nec Imperatoris Græcorum nec Pipini Legati æqui aliquid ab *Aistulfo* impetrassent, *ipse Pontifex in Galliam seconfert*; & a Pipino magnifice exceptus, verbis ad inescandum ambitiosi Principis animum, summo studio compositis, prolixè exponit: Ecclesiam nempe & Italiam omnes spes suas *in Pipini fide* atque *potentia* posuisse, quæ, quales quantæque sint, patrem ejus *Carolum, non Regem, sed Regis Vicariûm* satis docuisse, cum *Luitprandum* eadem molientem sua autoritate a nefario incepto, Gregorii Pontificis voluntate commotus, averterit. Accessisse inde haudquaquam contemnendum *Zachariæ Pontificis beneficium*, cujus decreto *Pipinum ad tantum fastigium dignitatis evectum*, par sit *in perpetuum Ecclesiæ esse Defensorem acerrimum &c.* Respondit *Pipinus*: Se daturum operam, ut & Ille & Italia tota intelligat, sibi *neque erga Ecclesiam fidem deesse*, neque in Italia defendenda *virtutem.* Unum illud modo enixe ab eo petere, ut secum in Francia usque ad proximam ætatem permaneat, *seque interim ac filios suos Carolum & Carolomannum Reges Franciæ, Zachariæ instituto perungat.* Se tum demum justè regnare existimatuos, cum rite appellati a Pontifice Romano, consecratiqûe Reges erunt. Gratiis a-

Etis utraque res a Pontifice benigne promissa fuit. Indiēto igitur Francis in V. Idus A. C. 754. Concilio, Papa in æde S. Dionysii Pipinum, & Carolum ac Carlomannum filios, & Bertradam uxorem, Reges inunxit, solenni carmine astantes Francorum proceres sacrae detestationis obstringens: ne unquam alios, quam ex superstite ipsorum progenie super se regnare juberent, quos constaret, divina providentia ad Catholicæ Ecclesiæ tutelam adscitos, ac per ipsum Christi Vicarium Unctione sanctissima consecratos. Interim Univerſa, quæ convenerat, Francorum nobilitas plaudebat, atque ad tantæ rei spectaculum præ lætitia gestiebat. Ne autem Pontifex propriis emolumentis, ac Occasioni Romanæ Sedis potentiam insigniter augendi deesset, ille, Francorum omnium erga Romanam Ecclesiam studia animadvertens, non solum bellum pro recuperando Exarchatu pentapoli que suasit, sed etiam ne ea redderentur Imperatori contendit. Constantinum enim propter desertam Italiæ tutelam, & inimicitias cum Ecclesia aperte susceptas, indignum esse, qui rerum in Italia potiretur. Quod si Pipinus aut grati hominis officium præstare, aut animæ suæ consulere, aut pontifici laboris & periculi sui præmium aliquod tribuere vellet, utramque Regionem Beato Petro præcipui beneficii loco concederet. His auditis, Franci maximo animorum consensu bellum decreverunt. Pipinus autē, palam audientibus omnibus: si Deus Longobardicæ victoriæ illum compotem fecerit, pollicetur, se pro remissione peccatorum suorum impetranda Exarchatum & Pentapolim Imperio Romano detracta, beato Petro & Successoribus ejus traditurum, in perpetuum possidenda; atque ita præsentem Scribam in tabulas referre jussit, easque & suo, & Caroli & Carlomanni filiorum præsentium sacramento munivit. Hisce conditionibus absolutum fuit intimius mutue defensionis inter Papam & Pipinum ac filios suos fœdus; de quo pauca tantum verba facit, Autor incertus Annal: Pipini, (quem Petr. de Marca. de C. S. & J. L. 2. c. 2. & Lambecius, de Biblioth. Cæsar. L. 2. c. 5. Segm. 32. p. m. 400. sq. Eginbardum, qui etiam vitam Caroli M. scripsit; alii Adelmum vel Adomarum faciunt, vid. Boec-

Boecler. Hist. Sec. IX. & X. p. m. 18. Eginhardum vero annales scripſiſſe negat Dn. *Schurtzſleiſch. de Diviſ. Imper. Karolini, th. 15.* & ipſa inſcriptio illos *Aſtronomo cuidam, Ludovici Regis domeſtico, ap. Juſt. Reuberum. in Tom. Un. Scriptor. Germ. p. m. 15.* tribuit, unde omnia incerta manent) *ad ann. 754.* Stephanus enim Papa, inquit, poſtquam a Rege Pipino *Eccleſiæ Romanæ deſenſionis firmitatem* accepit, ipſum ſacra unctiōe ad regiæ dignitatis honorem conſecravit, & cum eo duos filios ejus, Carolum & Carolomanum. Eventus hujus pacti feliciffimus Romanam Eccleſiam inſigni territorio auctam, potentiffimam reddidit; Victo enim *Aiſtulfo, Pipinus Exarchatum Ravennatenſem, totamque Pentapolin, SS. Apoſtoliſ Petro & Paulo, ſive ſedi Romanæ tradidit.* Imperatorem Conſtantinopolitanum autem, provincias haſce ſibi ſummo jure debitas, repente, frigida ſatis excuſatione hac removit: Se ſcilicet nullis præmiis humanis inductum, ſed divinæ promerendæ gratiæ ſtudio inflammatum, *Eccleſiam Romanam in fidem recepiffe,* quod id ad animæ ſuæ ſalutem & peccatorum remiſſionem valiturum jam pridem ſibi perſvaſiſſet. Exarchatum ſe & Pentapolim S. Petro & Succelloribus ejus traditurum juraffe; nulla itaque ratione adduci poſſe, ut fidem fallat, officiove decedat. *vid. Sigonius. d. L. 3. ad. ann. 755. p. m. 80.* Conſtantine Imp. viribus impar, ac neceſſitati cedens, non ita multo poſt, ut *Ado Vienneniſis in Chronico* refert, ſcilicet ann. 757. miſſis donis Regi Pipino, pacem cum Francis ſtatuit; eo ipſo autem, *judice Dn. Schiltero, d. c. 9. §. 10.* juri ſuo tacite renuntians, in factam a Pipino traditionem conſenſit. Imo hac ipſa occaſione, & ad repellendos ſub prætextu juris, Imperatorum Græcorum Legatos, regiones Italiæ ann. 767. denuo repetentes, *Donationem illam Conſtantini M. in c. Conſtantine. 14. d. 96.* relatam, jufu Pauli Papæ, & conſenſu Pipini *effictam* fuiſſe, ſuſpicatur *Petr. de Marca. de Concord. Sacerd. & Imper. L. III. c. 12. add. Claude Fauchet des Antiquites de France. L. 6. c. 4.* Lubens in enarrandis hiſce proluxior eſſe volui, *Sigonium,* cujus magna in rebus Italicis

licis illorum imprimis temporum autoritas, potissimum secutus, quo tanto evidentius pateant arcana ista causa; quae Romanae sedi tam potentem divitiarum suarum protectorem pepererunt. Scilicet, Lavabat manus manum; & ambitioni utriusque satisfiebat. Callida Pipini Consilia Papa artificiosis technis suis ad maturitatem promovebat; ab illius potentia in exequendis ambiosis destinatis iterum adjutus. Uno verbo: Pipinus Legitimum Regem ac Dominum suum autoritate Pontificis solio deturbat, & Francicum Regnum eodem approbante, acceptum, hereditario jure ad filios suos transmittit. Pontifex Pipini ope Imperatoris Graeco-Romani legitimum Imperium excutit, & detractas illi fertilissimas regiones, potentissimas Italiae Civitates, & innumeras divitias sibi ac Sedi Romanae perpetuo servandas, acquirit; tantique protectoris potentia fretus, ad majora audenda Successoribus suis viam sternit. Uterque injustus, uterque usurpator, dominandi libidine incensi salutis publicae ac Religionis servandae praetextu abusi, non nisi ambitioni, & Cupiditati habendi litarunt suae; & egregio exemplo comprobarunt: Principes alienis bonis inhiantes, Clericorum amicitiam, ut plurimum expetere; illos vero, sub speciali brachii secularis tutela securos, ad quod libet audendum pronos fieri.

b) Carolum M. cum Patre & fratre a Stephano pontifice ann. 754. in Regem unctum, foedus quoque illud, de Romana Ecclesia defendenda, juramento suo firmasse, paulo ante diximus. Eo itaque ex tempore Carolum quoque dignitatem ac potestatem *Patricii Romanorum & Protectoris vel Advocati Pontificiae sedis*, una cum patre & fratre suscepisse ac gessisse inde constat, quod, cum Paulo I. mortuo, Desiderius occultis machinationibus Electionem novi Pontificis sufflaminare, aut suae factionis hominem violento modo Ecclesiae obtrudere auderet, Christophorus vero primicerius, cum Cleri & militiae proceribus, ac caeteris Romanis Civibus Stephanum III. elegisset; hic Sergium Secundicerium ad Pipinum, eoque, dum ille
in

in itinere erat, e vivis erepto, ad superstitēs filios *Carolū & Carolomannū* destinaverit, oratum, ut ad se eruditissimū, quēque e Francia Episcopū mitterent, quo *ex eorum auctoritate Ecclesiam constitueret*; qui etiā Legatione accepta morem voluntati Pontificis gesserunt. vid. *Sigon. d. l. 3. ad ann. 768. p. m. 82.* & eadem ex ratione Stephanus III. Carolū & Carolomannū *Reges & Patricios Romanorum*, in literis ad eos datis, jam antea compellaverat, uti ex Baronio refert *Lehmann. Chron. Spir. l. 2. c. 40. p. m. 162.* Carolomaño deinde A. 771. defuncto, *Carolus solus*, exclusis fratris filiis, qui cum matre sua ad Desiderium Longobardorum Regem, Carolo ob repudiatam paulo ante ejus filiam, valde iratum, confugerant, *consensu omnium Francorum Rex* constituebatur, *Eginardus in Car. M. Anon. annal. ad ann. 771.* quamvis enim Regnum Francicum hereditario jure e Pipini instituto ad Carolū pervenisset, ita ut nullius amplius consensum necessarium fuisse videatur: attamen cum Jus primogenituræ nondum eo tempore obtineret, sed omnes defuncti filii æqualiter succederent, *ad dividendum Regnum*, quod neutiquam patrimoniale erat, *populi auctoritas* requirebatur; ita enim in Conventu generali omnes Franci Carolū & Carolomannū sibi Reges, ea conditione, ut totum Regni corpus ex æquo partirentur, constituerant apud *Eginardum*, & *Annal. anon. ad ann. 768.* pari modo Consensu populi, ad declinandam invidiam opus habebat *Carolus*, dum *fratris Carolomanni filios*, jure in regni partem, a patre ad illos legitime devolutam, *exuere* intendebat. *Amicitia* quoque pontificis maxime indigebat, ne ille Desiderii sollicitationibus & minis cedens, filios Carolomanni Reges etiā inungeret. Hoc enim volebat Desiderius, non ut ipsis pueris gratiam tribueret, sed ut compos voti factus aut Carolū a Pontificis amicitia alienaret, aut bello Civili per eandem causam in Francia concitato, facilius Romam Italiamque subigeret. vid. *Sigon. dl. p. m. 84.* Mirum itaque non est, Legatis Pontificis, qui Carolū oratum venerant, ut avi patrisque exemplo *affectis Ecclesie*

rebus , contra Desiderium , qui Pontificem ad inun-
 gendos Carlomanni filios cogere vellet , *opem affer-*
ret, illum enim pro sua prudentia facile intelligere posse, *quan-*
ti hoc ipsius intersit ; Carolum quoque summa animi alacritate
 respondisse: Se Pontificis studio libenter obsequuturum, & ut
 Desiderium, sive auctoritate sive armis a Vexatione Romanæ
 deterreret Ecclesiæ, connixurum ; apud se cum *beneficiorum*
ab Ecclesia acceptorum memoriam, tum *Sedis Apostolicae Maje-*
statem & esse, & in perpetuum fore sanctissimam; *Sigon. d. l. p.*
m. 85. Eandem quoque promptitudinem penes Proceres Fran-
 corum, *Ecclesiæ*, bello contra Desiderium decreto, *opem feren-*
dam esse, in conventu generali unanimiter statuentes, adfui-
 se, admirationem haut meretur; eorū enim pariter intererat, ne
 Carolomanni filii, quos assensu suo hereditate paterna pri-
 vaverant, regia dignitate a Pontifice aucti, ad repetendas di-
 tiones patrias, Longobardorum viribus stipati, Franciam
 ingrederentur. Accendebat insuper animos cupido prædæ,
 & spes Longobardorum sedes occupandi, unde & *Sigon. dl. p.*
m. 86. Arma tanto studio expedita fuisse refert, ut facile appa-
 reret, Francos se *non ad Ecclesiam sublevandam*, sed ad Longo-
 bardorum Regnum evertendum accingere. Nec mora, Pon-
 tifice iterum à Carolo *ut Jus tueretur Ecclesiæ* postulante, bellum
 Longobardis illatum, neque illi prius quam ipsi Longobar-
 dorum Regno, finis impositus fuit. Carolus enim capto Desi-
 derio, ejecto ex Italia Adalgiso illius filio, natis Carolomanni
 cum Matre illorum in Potestatem redactis, Longobardis omni-
 bus in fidem ac deditioem acceptis, Regnum Italiæ sibi Victo-
 riæ jure vindicavit, Pontifici Exarchatum & Pentapolim a Pi-
 pino olim donata, restituit, ac insuper complurium Locorum
 a *Sigon. dl. p. m. 88.* relatorum, utile Dominium adjecit. Pon-
 tifex, ne se ingratum benefactorem erga exhiberet, Carolo Ro-
 mam venienti, inter quam multa solennia, Venerandas quo-
 que Cruces, non aliter atque *Exarchis, Patriciisque* quondam
 solebat, obviam misit; Imo Universo procerum Conventu con-
 sen-

sentiente decrevit; Ut *Carolus Patricius Romanus esset*; per singulas provincias ArchiEpiscopos institueret, ita ut nisi ab eo laudarentur & instituerentur, a nemine sacrarentur; & ut Pontificem eligeret, sedemque Apostolicam ordinaret. v. *C. Adrianus. 22. Dist. 63. Sigon. l. 4. p. m. 89.* Ubi tamen notandum, *Patriciatu dignitatem* Carolo non demum post devictum *Desiderium primitus collatam*, sed potius illam, quam olim cum Patre & fratre, uti paulo superius diximus, adeptus fuerat, de novo *repetitam*, & extenta ejus potestate *ampliozem & augustiozem* redditam fuisse, uti pluribus docet *Lehmann. Chron. Spir. l. 2. c. 40. p. 162. sqq.*

c) *Patricii* olim apud Romanos *novis hominibus & familiis plebejis* opponebantur, unde *Capitolinus* dicit, *Opilium Macrinum*, delato a Militibus Imperio, *novum hominem*, & qui paulo ante procurator privatae rei fuisset, a Senatu *in Patricios allectum* fuisse; quem locum perperam de Patriciatu secundi generis intelligit *Gutherius de Off. Dom. Aug. l. 1. c. 40. p. m. 255.* notante *Dn. Schiltero de Lib. Eccl. Germ. L. II. c. 7. §. 10.* Recentiorum enim Patriciorum ordinem *Constantinus Magnus* instituit, eumque summis & *perpetuis* honoribus auxit. *Patris* enim loco ab Imperatore habebantur, & in Consistorio *Consiliis Secretioribus* Principis intererant *Patricii* v. *l. ult. C. de Consul. §. 4. 7. Quib. Mod. Patr. Pot. solv.* Praesentales ideo dicti, v. *Cassiodor. l. 8. c. 10. Guther. de O. D. A. l. 2. c. 19. p. m. 465.* rem bellicam quoque administrabant, & *regendis Provinciis* praeficiebantur, v. *Guther. d. l. p. m. 469.* Imo *omnibus aliis* anteponebantur, per *l. 3. C. de Consul. exceptis Consulibus* qui actu regimen exercebant; ita enim *Theodoricus Gothorum Rex*, ap. *Cassiodor. l. 6. Var. c. 2.* de Patriciatu loquitur: Praefectorios & aliarum dignitatum viros praecedit; *Uni tantum cedens fulgore*, quem interdum etiam a nobis constat assumi. haec autem de Consulatu quem Imperatores, nec non Gothorum Reges ipsi gerere solebant, accipienda esse, bene monet *Bignon, ad Formul. Marculfi l. 1. c. 35.*

D

Un-

Unde rectè *Godofr. ad d. l. 3. lit. b.* statuit: Patriciatus honorem Consulatu Majorem fuisse *non gradu, sed duratione*, quia non nisi morte solvebatur, cum Consulatus annuus tantum esset; *Cassiodor. dl. vers: nam mox ut datus &c. Guthber. dl. p. m. 466.* Accedens tamen Consulatu, illius dignitatem augebat, ita ut è duobus Consulibus, ille qui Patricius simul erat, alterum perpetuo præcederet, arg. *l. 1. vers. Quod si quis prior Consul posteriori Consuli, eidemque Patricio posthabitus &c. C. de Consul.* A Romanis Usus Dignitatis hujus *ad Gothos* Italiam occupantes transiit, hi enim Romanas literas, Mores & Consuetudines adeo hauserant, ut nihil inter eos & Romanos ipsos discriminis esse appareret, laudante *On. Panvinio de Comitibus Imper. tit. Orient. Imp. Origo. p. m. 313.* Legi hanc in rem merentur formulæ, quibus Theodoricus & Athalaricus, Gothorum Reges in conferenda dignitate patriciali usi fuere, a *Cassiodoro* nobis servatæ, in quibus de Officio & cælo honore isto, qui & *armis conveniebat & in Pace resplendebat*, uti Athalaricus illum describit, varia & egregia annotata invenies, ap. *Cassiodor. Variar. l. 3. c. 5. & 6. L. 6. c. 2. l. 8. c. 9. & 10.* ubi etiam *l. 1. c. 3.* Codicilli quibus Theodoricus Rex ipsi *Cassiodoro* Senatori Patriciatus apicem contulit, recensentur. *add. Goldast. Tom. III, Constit. p. m. 71. 94. & 97.* Apud *Longobardos* quoque, qui Gothis successerunt, eandem dignitatem cognitam fuisse, elegans ille locus, integrum processum in Creatione Patriciorum adhibitum depingens, quem ex *Paulo Warnefr. Diac. de reb. gest. Longobard. excerptis Mager. de Adv. Arm. c. 5. n. 302.* sufficienter evincere potest. de *Anglis* idem testatur *Bignon. ad d. l. Marculfi, p. m. 528.* autoritate *Alcuini & Rogerii Hovedeni in Ann. L. 1. ann. 797.* potissimum subnixus. Patricios quoque sub primis Francorum Regibus summam dignitatem habuisse *Gregorii Turonensis, Fredegarii*, aliorumque testimonio probant *Bignon. d. l. p. m. 527. Dn. Schilter de L. E. G. II, 7. §. 2.* qui insuper observat, Dignitatem hancce antiquiorem quidem *Majoratu Domus*, gradu tamen inferioriorem fuisse; imo, illos cum Ducibus eodem munere functos

pu.

putat *Bignon*, *dl. p. m. 528.* &, qui illum sequitur *Bæclerus de Reb. Sec. IX & X. in Carolo M. p. m. 15.* Patriciorum, inquit, his temporibus, idem munus quod Ducum, Provincias administrare, Exercitus regere. *Marculfus* quoque *Monachus*, qui sub Chlodovæo II. Dagoberti filio, Seculo VII. claruit, *L. 1. c. 8.* chartam regalem exhibet, ex qua patet, Duces, Comites, & Patricios eadem formula a Principe institui solitos. Accuratiorem tamen considerationem hæctenus relata optimo jure mereri videntur, quo eo clarius pateat, qualem ac quantam Potestatem Pipinus & Carolus M. sub Patricii Romanorum titulo acceperint, imprimis quod illa maxime implicita a nemine hæctenus satis extricata deprehendere licuerit. Scilicet, erant *Patricii* ex institutione Constantini M. in Imperio Romano, teste *Zosimo l. 2. summa* post Imperatorem *dignitate* conspicui, illi enim *Patris loco* erant, cujus Consilia prudentia sua moderabantur. Unde merito *Adjutores Imperatoris* in dicta formula, quæ ex *Paulo Diacono* excerptam operi suo inseruit *Mager. c. 5. n. 302.* appellatos esse deprehendimus. add. *Th. Dempsterus, in Paralipom. ad Rosini Antiq. Rom. l. 5. c. 5.* Neque tamen perpetuo Imperatoris lateri adhærebant, sed &, cum illorum fides experientia, ac prudentia exuberaret, negotia gravissima & maxime ardua illorum curæ committebantur: Unde *Patricios* aliquando *Legationes obisse*, *Exercitibus præfectos*, & *provinciis* regendis præpositos fuisse, imo summam rerum tenuisse legimus. Ejusmodi enim viros, a Latere Imperatoris venientes, & e numero primariorum Ministrorum Status selectos, majori cum Autoritate res magni momenti expedire posse, haut vana persuasione credebatur. Ipse Justinianus in Epistola, quam *Cujacius l. 10. Observat. c. 12.* vulgavit, ad *Narsetem Patricium in Italia*, scribit: *Se Belisarium Patricium* contra Gothos in Italiam expedivisse &c. & *Freculphus Tom. 2. Chron. l. 5. c. 23.* narrat: *Justinum Imperatorem Narsetem Patricium* contra Gothos in Italiam direxisse &c. Utrumque autem Exercitui Ducem datum fuisse, nemini ignotum est. Eleganter quoque observat *Guther.*

ther. d. l. p. m. 469. quod illa militum, Statio quib9 Patricius imperabat, *Sedes Patricia* dicta fuerit. Quando autem *Provinciis regendis* præficiebantur, *denominationem* quoque a *Regione* cui præerant fortiri solebant, unde recte notat *Guther. d. l.* se *Patricios Italiae, Patricios Africae, Patricios Occidentis, Patricios Romanorum &c.* offendisse; & *pag. m. 469.* ex *Constantini Imperatoris Porphyrogeniti Libro*, de administrando Imperio docet, *Italiam* à tempore *Constantini M.* in *duas partes* divisam, a *totidem Patriciis* rectam fuisse. Neque tamen *Gutherio* assentiri licet, quando *p. m. 473.* *Patricios* hosce alios omnino facit, ab iis qui patres Imperatoris vocabantur; Erant enim ex illo ipso ordine, quamvis brevitatis studio eg. *Patricius Italiae* diceretur, qui, accurate loquendo *Patricius & Praefectus Italiae*, h. e. Locum tenens Imperatoris & Governator Italiae; vel uti post *Justinianum* titulus erat, *Exarchus Italiae*, dici debuisset. Minus itaque recte, *Patricii & Exarchi* vocabula synonyma facere videtur *Dn. Schilter. d. c. 7. §. 2. in fin.* ipse enim *Gregorius Papa*, quem citat, dum in *Epistolis* suis, *Patricium & Exarchum* dicit, non unam sed *duplicem dignitatem* in una persona existentem, indigitat. Pari modo *Bignonius*, & qui illum sequitur *Boeclerus*, *Patricios cum Ducibus confundunt*, dum illos cum *Ducibus* eodem munere functos scribunt. Neutiquam enim hæc duo vocabula sibi invicem æqui pollent, multo minus recipiuntur; Nam etiam si negari nequeat, *Patricios* quoque *Ducum* munere functos; nondū tamen inde sequitur, quod *Omnes Patricii Exercitib9 cum Ducatu præfuerint*, adhuc min9 vero, quod *omnes Duces etiam Patriciatus dignitatem habuerint*; hoc enim necessarium aut perpetuum fuisse nulla *historicorum* fide demonstrari potest. observare autem debuisset *Bignonius*, quod *inter decem illos Duces*, quos ex *Fredegarii appendice c. 78.* ipse recenset non nisi *unus*, scilicet *Wilibaldus, Patricius* fuerit: quamvis facile largiri queamus, tractu temporis *Patriciatus honorem*, in plures diffusum, de splendore suo non nihil amisisse, & ideo apud *Francos, Duces, Comites & Patricios* eadem formula

la

la institutos fuisse, quod *Marculfus L. 1. c. 8.* innuere videtur. Illud vero ante omnia notandum, *Omnes omnino Patricios*, quotquot vel Provinciis Rectores, vel Exercitibus Duces datos deprehendimus, *potestatem* saltem ab Imperatore *mandatam*, & in ejus Majestate radicatam, exercuisse; Neque *Exarchum* Ravennatensem, ampliori jure aut propria aliqua potestate gavifum fuisse. Cum autem ille ipse Exarchus, *Patricius* quoque *Romanorum* diceretur, (non Patricius Romanus nam hoc nomine a plebejis antiqui Patricii distinguebantur) hinc facile patet, quare *Carolo Martello Consulatus* potius, quam Patriciatu a Pontifice decretus fuerit. Romanis nempe Patricium suum habentibus, alius Patricius dari non poterat. ut taceam Consulatum antiquitatem magis sapere, & Supremam in Republica Romana dignitatem denotare, cum Patriciatus apud Francos Major Domatu, uti barbare dicebatur, quem Martellus jam gerebat, gradu inferior esset. Sublato autem & *destructo Exarchatu*, & ne re suscitari posset, ditionibus ad illum spectantibus Sedi Romanæ a *Pipino* donatis, huic demum ac filiis ejus Pontifex & Senatus Romanus *Titulum Patriciatus Romanorum* contulerunt; qui etiam illo contentus, in Franciam remeavit. Equidem Pipinus hoc ipso, omne quoque Jus & potestatem in urbem Romam & ipsum Papam, sive Electionem ejus spectes, sive mores & vitam, accipere debuisset, qualem scilicet Exarchi hæctenus habuerant. Verum, cum Pontifices non ideo Imperio C Politano se subtrahere laborassent, ut tertio alicui se eodem modo subjicerent, *Pipinus*, amicitia Pontificis ad firmandas res suas in Franciæ Regno indigens, *nudo nomine & aliquali autoritate*, precaria fere, contentus, reliqua, tanquam odiosa, lubens silentio trans mittebat. vid. *Dn. Schilter. d. L. 2. c. 9. §. 11. Fluctuabant* enim eo tempore omnia mirum in modum in Italia. *Papa* sequestrata animarum cura, ambitioni & avaritiæ litabat suæ, & excusso sub prætextu Controversiæ de Cultu imaginum, & periculi a Longobardis imminentis, Imperatorum Dominio, *Imperio Urbis Romæ inhiabat*, vid. *Conring.*

ring. de Germ. Imp. Rom. c. 6. & quamvis Pipinus de Urbe illa a Longobardis suis viribus liberata expresse nihil disposuisset; eo tamen connivente, Papa *Superioritatem territorialem* in ipsa urbe *exercebat* fatente id Adriano Pontifice, in *Epist. 35. ap. Schilter. d. c. 9. §. 13.* Econtra S. P. Q. R. pristinae dignitatis memor, imperium Pontificis respuebat, & ad *vetustam libertatem* anhelabat. Ad eludendos autem *Imperatorum C Politanorum* conatus, qui Romam cum Exarchatu postliminii jure sibi vindicare nitebantur, Patriciatus potestatem a Pipino occupatam obtendebant, & quod ille, se nunquam Civitates sedi Apostolicæ donatas ullo modo ab illa alienari aut imperiali ditioni iterum tribui, passurum, juramento quoque præstito affirmasset, Pontifices se penitus invitos ad retinendas illas ditiones adactos, excusabant; *eminus* vero, seria parantibus, *Francorum arma* ad terrorem incutiendum apta, *ostendebant.* Nonnulli putant, *Patriciatum summam* Romanorum Principis *potestatem* denotasse, eamque Pipinum tam in Urbe Roma quam in Exarchatu exercuisse, vid. *Lehmann. Chron. Spir. l. 3. c. 24. Dn. Schurtzfleisch. de Divis. Imp. Karol. tb. 14. Dn. Schilter. d. c. 9. §. 13.* Alii econtra, Papam & Romanos adhuc summum *Imperatoris C Politani* Imperium agnovisse, Pipinum vero illius tantum *Vicarium* constituisse, asserunt, vid. *Petr. de Marca. de C. S. & J. L. 2. c. 2. & L. 3. c. 11.* Verum, si dicendum quod res est, totus ille Pipini *Patriciatus*, innuneris difficultatibus involutus, *obscuritate* maxima laborat, tantus, quantus vero est, *Magistratum* ubivis sapit, neque ullum summæ Potestatis indicium habet. Pontifex enim & Romani non uno saltu, sed per gradus ad plenam libertatem grassari, securius ducebant, hinc *ne* penitus ab Imperatore *descivisse*, sed potius illi speciem adhuc aliquam Juris competentis reliquisse viderentur, sub Magistratus sive vocabulo Pipinum saltem *Protectorem* sibi contra quosvis, ne quidem ipso Imperatore excepto, *assumisse* videri volebant, cui tamē præter titulos magnificos *nullam veram potestatem* tribuebant, qualē etiam Pipinum in Italia adversus pontificem & Romanos exercuisse

cuisse, nullis historiarum monumentis probari potest. Et hæc proculdubio, genuina causa fuit quare *Carolus M.* ante ann. 774. *titulum Patricii* in totum *neglexerit*, neque illo unquam usus fuerit, quamvis a Papis illi iste tribueretur. *Dubium* enim erat, *num potestatem* aliquam annexam haberet, & insuper *dependentiam* ab Imperatore CPolitano *in volvere* videbatur; expresse enim in *Lege illa Regia* dicitur: Synodū deliberasse, quemadmodum etiam hæreses & Seditiones aboleri possent de Apostolica sede, & *Dignitate Patriciatus*, & Romano Imperio, quod ex *iis omnibus nimius error in Univerſo orbe creverit*. Postquam vero devictis Longobardis Ann. 774 Romam venisset, ac ab Adriano Pontifice, referente hoc *Anastasio in vita Ejus*, ingenti cum honore, & sicut mos est, ad *Exarchum aut Patricium* suscipiendum, exceptus fuisset; (Regi enim, annotante *Sigon. L. 3. p. m. 81. n. 20. Venerandas Cruces* non aliter, atque *Exarchis Patriciisque* quondam solebat, Papa obviam miserat) tunc Adrianus cum omni Clero & Populo ac Univerſa Sancta Synodo *Carolo Augusto concessit omne suum Jus & potestatem eligendi summum Pontificem & ordinandi apostolicam Sedem*, nec non Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias *investiendi*: imprimis autem *dignitatem Patriciatus* sive Principatus. Et hæc est solennis illa *Lex Regia*, quam & *Gratianus* Decreto suo in *c. Hadrianus 22. D. 63.* inseruit; pleniorē autem *Theodoric* a *Niem* sollicitudine servatam, exhibuit *Goldastus. Tom. 1. Constit. p. m. 16. Schilter. Inst. Jur. Publ. Tom. II. tit. 1. p. m. 1. sqq.* ac illius Veritatem contra *Baronium* fortiter propugnant *Goldast. in Rationali. ad d. l. Conring. de Germ. Imp. Rom. c. 6. p. m. 46. sqq. Schilter. de L. E. G. L. II. c. 11. §. 1. & in Notis ad Legem illam Regiam. d. l. p. m. 8. sqq.* Ex eo itaque tempore *Carolus* nomini suo *titulum Patricii* ad-jicere, annos quoque *Patriciatus* ab hoc anno 774. numerare cœpit; unde liquet, isto demum Anno una *cum nomine*, & *rem ipsam patriciatus ab illo* acquisitam fuisse; nam ante illud tempus *nec nomine nec potestate Patricii* usus fuerat, observante *Conring. d. l. p. m. 47. & 50.* Cautela autem a *Grotio de J. B. & P. I. 3. §. 10. n. 1.*

tra-

tradita: ne scilicet ambiguo nominis sono, aut rerum exter-
narum specie decipiamur; hic quoque adhibenda est. Quam-
vis enim Carolus *Patricii* tantum Romanorū *titulum* gereret, in
effectu tamen *Summam* & independentem Potestatē in Urbe Ro-
ma & Reliquiis Imperii Romani exercebat, cū Patriciorum sive
Exarchorū, potestas dependens & mandata saltem esset. Italia
enim jam omnē obedientiam erga Imperatorem CPolitanum
exuerat, & nullum alium Dominum quam Carolum, Regem
Francorum & Longobardorum, ac Patricium Romanorum,
agnoscebat, qui etiam eandem ob rationem in solenni illa Le-
ge Regia *Rex Romanorum* dicitur. Unde minus accuratē *Con-
ring. dl. p. m. 49.* Carolo talem solummodo potestatem, qualis
olim Exarchorum fuerat, tribuit, cum per hactenus deducta
longe majorē ac plane regiam habuerit. v. *Dn. Schilter. d. l. II. c. II.*
§. 4. Patricii autem *nomen*, cum semper adhuc imperfectionē ali-
quam admixtam habere videretur, *Carolus* tandem Ao. 801.
cum Imperatorio commutavit. Cum enim *potestatem re-
giam* & rem ipsam jam dudum habuisset, æquum videbatur
Leoni Pontifici & Romano Populo, ut etiam Imperatoris &
Augusti titulus accederet. Neque, Carolo *invito aut inscio* hoc
contigisse, uti quidem *Eginardum* secutus putat *Dn. Schilter d.*
c. II. §. 5. facile sibi persuaderi patietur, cui artes aulæ, simulatio-
nes ac dissimulationes Principum notæ sunt. vid. *Sigon. L. IV. p.*
m. 99. imo expressam aliquam *pactionem* de tradendo Imperio in-
ter Carolum & Papam populumque Romanum *precessisse*, au-
toritate *Siffridi Presbyteri*, & *Godefridi Viterbiensis*, probat *Boec-
ler. in Carolo M. p. m. 25.* Ex eo itaque tempore, *Carolus*, ablato
& *omisso Patricii* nomine, IMPERATOR & AUGUSTUS ap-
pellatus fuit; *Ado, & Annal. astron. ad ann. 801.* quo ipso titulum
Universalem Imperii Romani occidentalis a CPolitanis Impe-
ratoribus hactenus per plurimos annos non defensum, deser-
tum, & tandem a *Nicephoro* & *Michaele* optima forma resigna-
tum, acquisivit, vid. *Schilter. d. c. II. §. 6. sqq. & Inst. Jur. Publ.*
Tom. II. tit. 2. p. m. 17. sq.

d) *Advocati olim* dicebantur, quicumque amico præsentiam suam commodabant; *postea* in strictiori significato hoc nomine veniebant *Juris periti*, qui Litigantibus in Judicio Consilio suo assistebant, illorumque causas agebant, Causarum Patroni in *L. 1. & 5. C. de Advoc. divers. judic.* Causidici, in *l. 3. C. eod.* exinde dicti. Tandem significatio hæc ad omnes omnino, qui alterius defensionem susceperant extensa fuit; ita ut *Advocati*, quasi *ad* opem ferendam *vocati*, dicerentur, qui *Clientem* non solum *in judicio*, sed & cessante judicis officio, *armis* defendere tenebantur. *Advocata* autem *Ecclesiastica specialis*, *Corruptæ Ecclesiæ indicium* facere videtur. Christum enim & Apostolos cum Christianis primitivæ Ecclesiæ ullum subsidium in armis temporalibus quæsisse, nemo sanus affirmabit, utpote qui se & suas res Deo ac Ordinariæ Magistratus Protectioni unice committebant. Neque facile vestigium aliquod talis advocatiæ in historia apparebit, antequam Ecclesiæ insignes divitias & bona temporalia acquisiverunt: Unde etiam Vir in indaganda antiquitate harum advocatiarum solertissimus, *Magerus*, de *adv. arm. c. 5. n. 91. sqq.* ingenue fatetur, illas non nisi cum Monastici status institutione cœpisse, *Monachos* autem tempore *Constantini M.* initium habuisse. Scilicet parta jam erat Ecclesiæ Christianæ Securitas a vi & persecutione Ethnicorum *Constantini* facta, qui politicis maxime rationibus inductus *nomen* suum *Religioni Christianæ* dederat; quo autem Clericorum animos sibi penitus devinciret, maximis honoribus, beneficiis & divitiis illos augebat. Extruebantur ab eo tempore Magnifica & sumtuosa Tempora, Monasteria, ædificia. Instituebatur in illis Cultus Dei, non internus, hic enim tanto apparatu haut indigebat, sed externus, cui, cum ingenti splendore exercendo, innumeræ personæ destinabantur. Hisce porro laute admodum alendis, nec non reliquis sumtibus ferendis, Patrimonium amplum assignandum erat: Cumque impia persuasio, externis operibus remissionem peccatorum & gratiam Dei impetrari posse, astu Clericorum invaluisset, certatim omnium Condi-

E

tio-

tionum homines ad ea promerenda, sive, uti solennis ejusmodi foundationum formula habet, *pro remissione peccatorum & salute animæ suæ*, ingentia bona conferebant. *Ditescebant* hoc modo *Monasteria & Ecclesia*, ac innumeris fere pagis, villis castris, oppidis, integrisque Provinciis augebantur. Status certe florentissimus, si Christus talem suis promississet. Oriebatur autem inde *necessitas*, administratores & *Defensores* speciales certos ac potentes *constituendi*, in primæ vis enim Conciliis sancitum fuerat: ne se mundanis vel Secularibus negotiis Clerici immiscerent, sed unice divino Cultui vacarent; accedebat, quod Episcopi & Abbates Ecclesiastica bona male administrarent, ac dissiparent; imo potentiores nonnunquam, tantam felicitatem imbelli gregi invidentes, bonis Ecclesiasticis vel callidis machinationibus, vel aperta vi insidiarentur. vid. *Mager. c. 5. n. 106. usq; 113.* Unde in Concilio Carthaginensi V. A. C. 398. & in Concilio Melevitano, D. Augustino Præfide, A. C. 402. in Africa habito: *Ecclesiis Defensores adversus potentias divitum, ab Imperatoribus postulandos esse*, decernebatur; quo scilicet, uti formula solennis habet, Res Ecclesiarum prospere fervarentur; nec deinceps a grassatoribus quicquam molestiæ iisdem inferretur. vid. *Mager. d. c. 5. n. 99. 114. & 115.* Nomen tamen Advocati ejusmodi Defensoribus eo tempore nondum datum fuit, sed recentioris notæ est. Leo. I. Imp. ann. 466. illos: *Religiosos Oeconomos sive Defensores Ecclesiæ* nominat in *L. 6. §. ult. C. de his qui ad Eccles. confug.* in Diplomatum vero Dagoberti & Sigeberti, Regum Francicorum de ann. 653. & 623. quæ *Lehmann. Chron. Spir. l. 2. c. 36. Mager. d. c. 5. n. 120. ex Francisci de Rosieres Stemmate Lotharingico* exhibent, *Protectores, Rectores, Advocati*, dicuntur; solo autem & Solenni Advocatorum nomine a Pipino Carolo M. Ludovico Pio &c. appellantur, vid. *LL. Longobard. L. 3. tit. 32. Capitul. Caroli & Ludov. L. IV. c. 62. & L. V. c. 232. &c.* quamvis ipse Carolus Magnus se Defensorem saltem, non advocatum dixerit. reliquas denominationes, apud Græcos Latinos, Francos, Germanos, Gallos, usitatas, prolixè recenset & expli-

plicat *Mager. c. 2.* Uti autem *Advocatiã* five Protectionẽ in Ordinariam seu *Legalem*, vi Superioritatis territorialis cuilibet Principi competentem, & Extraordinariam seu *Conventionalem* recte dispescunt *Multz. Repras. Maj. Imp. P. II. c. 7. §. 2. n. 14. Schilter. f. 7. P. L. 1. tit. 25. §. 1.* ita *Pipinus & Carolus M.* per Pactum cum Pontificibus initum non illam, quam nos generalem supra diximus, sed *hanc solum*, tanquam magis specialem acquisiverunt. *Pipinus* enim, de alieno liberalis, *Exarchatum & Pentapolim* a Longobardis vindicata, *Romanæ sedi* donaverat, ac *Evictionem*, Defensione scilicet contra omnes qui ditiones illas vel repetere vel vi aggredi præsumerent, promissa, se præstiturum pollicitus fuerat; ad plura *Pipinus* obstrictus non erat. *Carolus M.* ad idem quoque se una cum Patre obligaverat, unde ab initio Regni sui non nisi *ad speciale* illam Protectionem Sedi Romanæ tenebatur, *generali* illa penes *Imperatorem CPolitanum* de jure manente. Postquam vero renovato Patriciatus titulo, *ipsam Potestatem Regiam* in omnem Italiam occupasset; & ipsum tandem Imperatorium nomen assumisset, tunc quidem *generalis* quoque & *Legalis Protectionis Sedis Romanæ* ad illum transit, insecuta mox cum Græcis transactione, optime firmata. *Pontifex* enim, uti *Sigonius L. IV. p. m. 99.* loquitur *Dignitatis Imperatorie titulum, in Occidente hoc consilio renovabat, ut haberet Ecclesia Romana adversus infideles, hæreticos, ac seditiosos tutorem: cujus officium repudiasse jam pridem Imperator Orientis videretur.* Ex hætenus dictis etiam patescit, *Schilterum, Leopoldum a Bebenburg & Goldastum,* incautius de *L. E. G. L. II. c. 9. §. 11.* secutum, minus accurate id eo *Patriciatum & Advocatiam* idem fuisse statuere, quod *Carolus* ante aditum Imperium utroque, post neutro usus fuerit. Certe Pontificis Romani securitas illud requirebat, nam, tamdiu Imperator *CPolitanus* Juri suo in Italiam nondum renuntiaverat, ille sane non nisi publice ostensa speciali Francorum Protectione, a recuperandis provinciis, Papæ a *Pipino* donatis, deterreri poterat. Renuntiatione autem illa solen-

niter facta, Papa sub generali Caroli Protectione tutus, speciali amplius ad deterrendos Græcos neutiquam indigebat.

e) f) *Pipinum* cum filiis Carolo & Carolomanno Pontifici Exarchatum & Pentapolim una cum defensione, *Sacramento interposito* promississe supra audivimus. *Carolus M.* quoque eo, tempore, quo Corona Imperialis illi à Pontifice imponebatur, *solenni juramento præstito: se Protectorem, ac defensorem fore Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in omnibus utilitatibus*, pollicitum fuisse, refert *Sigon. L. IV. p. m. qq.* ubi etiam formulam juramenti, ex antiquissimo Commentario, qui Ordo Romanus dicitur, excerptam exhibet. Eandem tradit *Mager. c. 5. n. 118. Goldast. Tom. II. Const. p. 5.* qui tamen in *Rationali, ad h. l. p. m. 385.* Leopoldi a Bebenburg auctoritatem secutus, *fielam* ac commenticiam illam dicit. De *Ludovico Pio* illum sub initium Imperii sui Legatos ad Pontificem destinasse, per quos se imitatione Patris *Ecclesiæ Romanæ perpetuum fore Defensorem*, ostenderit, nulla juramenti mentione facta, narrat *Sigon. d. L. IV. p. m. 105.* Imperatorem enim ad præstandum juramentum non teneri, neque hoc ab ipso per Pontificem extorqueri posse, recte docet *Mager. c. 9. n. 197. seqq.* Jusjurandum ab *Ottone M.* Pontifici præstitum & a *Gratiano in c. Tibi Domino. 33. Dist. 63.* relatum, falsitatis quidem arguit *Goldastus in Rationali ad Tom. II. Const. p. m. 43.* econtra illud interpolatum quidem non tamen penitus confictum, autumat *Dn. Schilter. de L. E. G. III, 5. §. 9.* Ex eo itaque tempore omnes *Reges Romanorum* sub simili formula *juramentum Protectionis*, quod abusive fidelitatis dicitur in *Clem. Un. de Jjur.*, præstitisse *Leop. a Bebenburg, de Zelo Vet. Princip. Germ. c. 7.* asserit; idemque formula perpetua *Ceremoniali Romano l. 1. Sect. 5. c. 3.* existans testatur. *Henricus sanè II.* cum a Papa *Ao. 1014.* coronaretur, devota professione, uti *Ditmarus. l. 7.* loquitur, promisit: *Se fidelem Ecclesiæ Romanæ Defensorem & Patronum fore*, ac Pontifici & ejus Successoribus per omnia *fidelem.* add. *D. Schilter. III, 9. §. 10. & 11.* ubi vocabulum: *Fidelis*, ab omni imperfectione liberat. Longum foret callida Pon-

tifi-

tificum consilia in mutanda juramenti formula, & inferendis studio terminis ambiguis, referre, Controversiæ enim & turbæ desuper exortæ satis notæ sunt. Ab *Henrico V.* Imp. Paschalis Papa tale exegit juramentum: Quatenus in Catholicæ fidei observantia integer: in *Apostolica sedis Reverentia promptus*: in Ecclesiarum defensione sollicitus esset ap. *Helmold. L. I. c. 60.* Otto vero IV. Imp. ab Innocentio III. Papa, longe gravius jurandum jurare compulsus fuit; in eo enim inter alia caput erat: *De Obedientia Ecclesiæ Romanæ præstanda, ejusque ditio- ne* (Patrimonium S. Petri vocant) ab aliquibus Imperatoribus injuste hætenus detenta, ex possidentium manibus extorquenda, *Sedique Romanæ cum omnibus juribus integre ac libere dimittenda, & deinceps pro viribus propugnanda.* vid. *Meibom. Apolog. Otton. IV. p. m. 48. sq.* Hodie Reges & Imperatores Romano-Germanici, in *Solemnitate Coronationis Germanicæ*, Romanam enim amplius non frequentari notum est, jurato promittunt *Defensionem tam generalem, quam specialem*, interrogante enim ArchiEpiscopo Consecratore; *Vis Sanctam Fidem Catholicam & Apostolicam tenere, & Operibus justis servare? Vis Sanctis Ecclesiis, Ecclesiarumq; Ministris fidelis esse Tutor & Defensor? Vis Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Romano Pontifici & Sanctæ Ecclesiæ debitam fidem reverenter exhibere?* Rex non solum respondet: *Volo.* Sed & hac formula: Omnia promissa, in quantum divino fultus fuero adjutorio fideliter adimplebo; sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia: juramentum præstat, quod etiam in novissima Serenissimi Josephi Romanorum Regis Coronatione ita observatum fuisse, annotavit *Sig. Ferrar. de Coron. Jos. P. 3. c. 3. p. m. 135.*

g) In antiquissima *Capitulatione Ruperti Palatini*, in locum Wenceslai destituti, ab Electorum majori parte electi, quam in *Apparatu Jur. Publ. p. m. 72.* nuper exhibuit Ill. Dn. *Obrechtus*, de Advocatia seu Defensione Ecclesiæ sequentia promittit Rex: Und sollen wir der Heiligen Kirchen Sachen uns lassen gänzlich bevolhen sin / und sollen die auch

E 3

han

handeln mit Göttlichen redelichen Wegen/ und da ymne dun
 mit Rade und Willen der vorgeanteten Unser mit Kur- Für-
 sten. Inter causas quoque abrogati Wenceslao Imperii,
 refertur: Daß er der Heiligen Kirchen nie zufrieden geholfen
 hat/ das der Cristenheit ein groß Notdurfft gewesen
 und noch wer/ das ymne als ein Bogt und ein Schirmer der
 Heiligen Kirche zugehörte &c. in Sententia Depositionis, *d.l.*
p. m. 56. Specialem vero Protectionem Sedi Romanæ a tempore
 Caroli V. in solennioribus Capitulationibus promittunt Im-
 peratores, Art. 1. verb. Daß wir den Stuhl zu Rom / auch
 Päbstl. Heiligkeit/ und Christliche Kirchen/ als derselben
 Advocat, in guten treülichen Schuß und Schirm halten sol-
 len und wollen. Quid autem sub hac formula intelligatur,
 & quomodo Protectio Specialis Romanæ sedi promissa, ne-
 que in Catholicorum, neque in Evangelicorum præjudici-
 um allegari debeat; Quodve, cum exacta æqualitas in Impe-
 rio inter utriusque Religionis Consortes ab Imperatore ser-
 vanda sit, Clausula illa, de Religione Catholica in statu quo,
 in locis à Gallia Rege restituendis relinquenda, *Art. IV. Inst.*
Pacis Ryswic. contradicentibus Protestantibus, inserta, utpote
 interno vitio laborans, ipso jure nulla fit; Secunda
 Differtatio, si Deus volet, explanabit.



COROLLARIA.

I.

Quamvis Jus Romanum nulla Sanctione expressa in
 Germaniam introductum fuerit; attamen per Jus
 Commune, in Legibus publicis, nullum aliud quam
 Romanum indigitari, præter alia argumenta etiam
 ex Ordin. Judiciii Imper. Aul. probari potest. Illa enim jubet:
 Daß

Daß das Corpus Juris Civilis & Canonici auf den Reichs-
Hoffraths-Tische liegen solle.

II.

Ex promissione, metu vis injusta facta, Jure Naturæ nul-
la nascitur Obligatio, multo minus Actio, etiamsi juramen-
tum accesserit. Ambages itaque Juris Romani, ex tali pro-
missione Actionem concedentis, sed Exceptione opposita eli-
dendam, æquitati naturali minime conveniunt.

III.

Principes Imperii Subtilitates solennitatum Civilium in
Testamentis observare non tenentur. Jus enim Romanum
iis nunquam promulgatum, sed in subsidium duntaxat ab iis
admissum fuit. Unde valet Testamentum, duobus tantum
testibus adhibitis confectum, vel etiam manu Testatoris scri-
ptum & sigillatum, etiamsi nullæ aliæ Solennitates accesserint.
Sufficit enim quod exinde illorum ultima Voluntas pateat, &
secundum Jus Nat. & Gentium probari queat. v. *Schilter. J. J.*
P. L. II. t. 9. §. 1. 2. 3. & L. 1. t. 10. in fin.

IV.

Debitor Pupillaris Tutori vel Curatori, pecuniam ab eo-
dem mutuo sumtam, solvens, plenissime liberatur, etiamsi
neque Autoritatem neque Decretum Judicis adhibuerit. Nec
Obst. §. ult. J. *Quib. al. lic. &c.* utpote ex l. 25. & 27. C. de Adm.
int. junct. l. 46. §. 5. & 7. ff. eod. explicandus.

V.

Usufructuarius, Extraneo Usufructum cedens, illum
statim amittit; neque tamen ad Cessionarium iste transit, sed
ad Dominum Proprietatis revertitur. per l. 66. ff. de J. Dot.
junct. §. 3. J. de Usufr.

VI.

Recte conqueruntur H. *Conring. de Judic. Reip. German.*
lib. 47. & Dn. Schilter. de L. E. G. III, 9, §. II. Quod Capitula illa,
quæ

quæ in ignominiam Imperatoris & Reipublicæ Germanicæ summa cum injuria a Pontifice conscripta, e. g. c. *Venerabilem X. de Elect. & Elect. Potest. clem. Un. de Jurejur. c. Si fratrum. Extravag. Jo. XXII. ne Sede vacante.* in Codice Legum Papa-
lium in media Germania tolerentur.

VII.

Regula in *l. 1. ff. de R. J.* minus accuratè definitur, cum potius sit Norma, Lege vel consuetudine probata, secundum quam Actiones humanæ institui aut dijudicari debet.

VIII.

Legum divinarum naturalium & Positivarum Interpretatio etiam ad JCTos pertinet; nam iniqui solum Censores illos Juris Civilis & Canonici Cancellis includunt: Cum potius Juris divini & humani Periti vel Doctores audire debeant.

IX.

Opinio quorundam Doctorem, quod Testamentum coram duobus Testibus conditum valeat, si quis e. g. in via moribundus testetur, & plurium testium copiam habere nequeat, suo fundamento non destituitur. vid. *Struv. S. J. C. Ex. 32. tb. 22.*

X.

Temerarius litigator a refusione Expensarum liberandus non est, licet Responsum JCTi, aut Facultatis pro se habeat. Et ita dispositum est in *der Chur Brandenb. Hinter Pommerischen Hoffgerichts Ordnung* &c.

XI.

Liberos a Patre in testamento privilegiato, nõ posse exheredari, communiorem & veriorem Sententiam dicit *Struvius Ex. 32. tb. 19.* Quod forte communiore sit, admitto. Contrariam tamen veriorem puto.

XII.

Non sequitur: Opinio hæc adversatur Communi opinioni, E. falsa est. Quia commnis Opinio sæpe est communis Error. Et dantur Opiniones Communes contra communes.

von

uti in .
 Haup
 lich. i. 2.
 legten
 chen C
 Christ
 vollzo
 in R. 7. 1.
 in Capit
 vero ca
 facri ill
 tolerar
 honora
 quam
 Reges
 n. §. 9.
 de Capi
 quâ Po
 sipes fi
 Respub
 papico
 Scriptur
 tamen
 Ecclesia
 cit.

T
 voca
 gene
 ne C

is sive der Oberst/
 529. §. Und anfang
 /welchenaus aufer
 n heiligen Christli
 heilige Gemeine
 hrlich gehalten und
 id zubeschirmen 2c.
 it der Christenheit/
 eratorum art. 1. Papa
 c Principes membra
 n locutio haectenus
 n dignitatis & locus
 i assignatur; neuti
 perium in reliquos
 b. Eccl. Germ. L. 3. c.
 Not. Imp. l. 4. c. 1. §.
 tiana Universalis, in
 omnes autem Prin
 s, sc. Rex Gallia ,
 dum & ambitiosum
 mento nititur, imo
 th. 23. 9, Accurate
 peratoris, non nisi
 ntem, unice respi

is hæc Ad
 endi & a) re
 et occasio
 xternâ, vel
 tur-

